

LOBECHIUS, cum nostra reget subsellia, quali  
Me pridem cultam fovit, amore pari.  
O spes fallaces! pro fertis iusta paranda  
LOBECHIO veniunt pectine luctifico.  
Inunc, i finge, ô reditura Academia, quondam  
Qualia ium fuerant secula, finge tibi:  
Cum mea doctifluis resonarent pulpita verbis:  
Haudq; aliud paries, clara nisi, imbiberet:  
Cum benè concordijuncta essent corda docentum  
Mente, nec huc alter tenderet, alter eò:  
Ante suis mea cum certatim commoda ferrent,  
Meq; foret magnum deseruisse nefas:  
Cum me nutricis studium exhilararet, & omnis  
In me exornandum ferveret ire labor.  
Inunc, i finge hæc reditura Academia secla:  
Quam non expectes sæpius, hora venit.  
Sæpè suum repetit madefactus pastor ovile,  
Cui surgens clarum spondet Apollo diem.  
Est, cui longævus ipsi promittimus annos:  
Quam credas tibi cum Mors gravis ante rapit.  
LOBECHI, æternum decus, & mea gloria, & ardor.  
Quem te complectar, sidera donec erunt:  
Cælo conscriptus qui vivis perpete vita,  
Vive bone & semper, vive, Beate, polo.  
Donec erunt, mea quas geminent subsellia, voces,  
LOBECHI nomen, gloria semper erit.  
Et tu magne Deus, quo percutiente calentis  
Pectoris insanis ætuo vulneribus:  
Tu miserere mei, Deus, ô miserere tuentis,  
Et mihi da vires, da mihi præsidium:  
Suffice, qui doceant: quos servas, Christe, docentes.  
Quiq; docent serva, Christe, benigne meos.

Epice